

R. N. *Cons.* Pontifex prohibet, gravi censura notari ambas sententias, sive quæ negat, sive quæ asserit necessitatem *aliqualis dilectionis* Dei in attritione ex metu gehennæ concepta: caritas autem, qua Deus propter se perfecte diligitur, non est *aliqualis* dilectio Dei, sed caritas Dei perfecta, et dilectio Dei simpliciter, non vero cum particula diminuente accepta.

163. *Obj. IV.* Contritio perfecta refertur necessario ad actum potestatis clavium, remissio peccati per contritionem prius obtenta quasi consummatur; ergo licet ad effectum sacramenti consequendum sola contritio perfecta disponat, potestas remittendi peccata non erit frustra, eo quod ad culpæ remissionem hoc modo operetur.

R. T. A. N. *Cons.* Illa clavium potestas revera nec peccatum remitteret, neque a culpa absolveret, si non haberet actionem aliquam de se expulsivam peccati, sed solum declararet absolutum, aut ab obligatione culpæ pronuntiaret immunem: ut pluribus supra art. 3. cap. 2. docuimus.

Inst. 1. Contritio, in quantum pars est et votum sacramenti, remittit culpam; ergo etsi nunquam sine contritione conferatur hic effectus, sufficienter tamen explicatur hoc modo sacramentum Pœnitentiæ cum potestate clavium ad peccati remissionem esse institutum.

R. N. *Ant.* Contritio in dato casu remittit peccata ante confessionem et absolutionem; ergo tantum ex opere operantis, perinde ac olim in antiqua Lege remiserat. Igitur hoc modo potestas clavium et virtus sacramenti non apte explicatur. Nam cum Patres Tridentini Sess. 14. c. 3. præcipuam vim sacramenti Pœnitentiæ in forma sitam esse tradant, sequitur, effectum sacramenti ex opere operato ante non conferri, quam illa proferatur.

Inst. 2. Potest accidere, ut et contritio pœnitentis, et absolutio sacerdotis eodem puncto temporis exerceantur; ergo tunc absolutio per se ipsam operabitur ad peccatorum remissionem.

R. T. *Ant.* quod moraliter impossibile videtur, ut actus instantaneus pœnitentis cum oratione sacerdotis simul eodem puncto temporis desinat.

Ad Cons. R. Dato etiam tali casu, nihil pro adversariorum sententia conficitur: nam formæ veritas non fundatur in eo, quod contritio cum illa concurrat, sed in hoc, quod ipsa vim habeat peccatorem justificandi; ergo vim illam habet, etiamsi non præsumat dispositionem per se sufficientem ad tollendam culpam. Deinde si perfecta contritio culpæque remissio tanquam dispositio unice necessaria ad actionem et efficaciam sacramenti supponeretur, nullum remedium facilius ad peccatorum remissionem obtinendam datum fuit per institutionem sacramenti, sed potius adjectum fuit onus.

ARTICULUS IV.

UTRUM ATTRITIO SINE INCHOATA DILECTIONE SUFFICIENTER PECCATOREM CONFITENTEM DISPONAT AD GRATIAM ABSOLUTIONIS PERCIPIENDAM?

164. *Nota.* Cum Sess. 6. c. 6. Concilium Tridentinum doceat, ad justificationem requiri, ut pœnitentes *Deum tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiant*: Sess. autem 14. c. 4. nulla expressa hujus dilectionis indicatæ

mentionem facta dicatur, quod contritio imperfecta seu attritio peccatorem ad *Dei gratiam in sacramento Pœnitentiæ impetrandam* disponat; orta est contentio celebris inter Scholasticos, qui perfectam contritionem negant esse necessariam dispositionem ad sacramentum Pœnitentiæ; aliis quidem inchoatam quamdam Dei dilectionem absolute requirentibus ad hoc, ut attritio in Pœnitentiæ sacramento ad gratiam proxime disponat: aliis vero id negantibus.

Inchoata autem dilectio Dei sensu triplici quæstionem præsentem sumi potest. 1º Quando Deus super omnia diligitur propter se etiam ut finis cui, sed actu remisso, nec admodum vehementi, quem affectum Baius, Jansenius alique Novatores caritatem imperfectam nuncupant, et ad gratiam in Baptismi et Pœnitentiæ sacramentis obtinendam sufficere arbitrantur, nequaquam vero extra sacramentorum illorum usum, nisi forte in casu necessitatis.

2º Alteram Dei dilectionem inchoatam, quæ attritione necessario conjuncta esse debeat, ut peccatorum remissio in hoc sacramento conferatur, laudant Pallavicinus et recentiorum nonnulli, estque ea omnis et sola, qua Deus propter se tanquam finis cui diligitur, sed nondum super omnia: nam etiamsi, inquirunt, divina bonitas creatis omnibus præstet, eisque anteferri mereatur; vere tamen et sincere diligi potest propter se, licet non secundum totam dignitatem et amplitudinem suam. Possumus enim vere ac sincere amplecti motivum aliquod, etsi illud non amplectamur secundum totam suam dignitatem et amplitudinem. In hanc rem affertur Bellarminus, qui L. 6. de Gr. et lib. arb. c. 7. *Dilectio Dei*, inquit, *alia est perfecta, quoniam est dilectio Dei super omnia, quæ videlicet Deum rebus omnibus anteposit; alia imperfecta, quoniam afficitur quidem erga Deum, sed nondum illum rebus cæteris præfert.* Et infra: *Dilectio imperfecta, qua Deus non antefertur omnibus rebus, non meretur nomen caritatis, neque implet legem, neque conveniunt illi encomia, quæ passim tribuuntur in divinis litteris caritati: tamen ex iisdem locis convincitur, imperfecta illa dilectio donum esse Dei, et ex solis naturæ viribus haberi non posse.*

3º Demum inchoata Dei dilectio dici potest actus spei, quo Deum tanquam omnis justitiæ fontem diligimus: ubi Deus est objectum materiale, et finis, qui propter se ipsum diligitur, cum idem sit objectum formale hujus actus: qui in hoc unico a caritate perfecta deficit, quod in Deum non feratur tanquam in proximum finem cui, sed proximum subjectum cui sit amans ipse. Unde ista dilectio amor concupiscentiæ nuncupatur; cum e diverso caritas perfecta, qua erga Deum, etiam ut *subjectum cui*, bene afficimur, amor benevolentiæ atque amicitæ dici mereatur.

165. *Dico I.* Ut imperfecta contritio sit proxima dispositio ad gratiam absolutionis accipiendam, aliquam saltem inchoatam Dei dilectionem debet includere.

Prob. I. Non minor dispositio ad peccatoris justificationem requiritur in Pœnitentiæ sacramento, quam in Baptismo: atqui in hoc requiritur, ut peccator Deum tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiat, ex Sess. 6. c. 6. Trid.; ergo multo magis hoc opus in sacramento Pœnitentiæ.

Prob. II. Ad omnem adulti justificationem requiritur vera et propria ad Deum

conversio, hoc enim indicatur a Scriptura et Patribus exigentibus conversionem ex toto corde: atqui vera et propria conversio non consistit in sola peccatorum detestatione, sed etiam in dilectione formali Dei; ergo et hæc ad justificationem in sacramento requiritur. *Major et Minor* sæpius fuit probata in disputatione præcedente, ac imprimis c. 3. art. 1. et seq., ac declaratur iterum breviter secundum principia S. Thomæ: Quodvis peccatum continet malitiam duplicem, quod sit aversio a Deo; et conversio ad bonum creatum. Igitur ut peccator vere ad Deum convertatur, utramque illam malitiam retractare debet; quod quidem sola attritione fieri non potest, qua poenitens solum a creatura iterum avertitur: ergo opus adhuc est amore Dei, quo solo ad Deum se denuo formaliter convertit. Ita S. Doctor q. 86. a. 2. in 6. et ad 1. *Adulto*, inquit, *in quo sunt actualia peccata, quæ consistunt in deordinatione actuali voluntatis, non remittuntur peccata, etiam in Baptismo, sine actuali immutatione voluntatis, quæ fit per poenitentiam.* Talem autem immutationem non tantum aversione a creatura, sed conversione ad Deum fieri necessario, tradiderat in corpore conclusionis.

Prob. III. Testimoniis Patrum: S. CYPRIANUS Tr. de Lapsis, n. 29. postulat ab iis, qui absolutionem a sacerdotibus expectabant, *ut singuli delictum suum confiteantur*, et ad Dominum toto corde convertantur et redeant. S. AUGUSTINUS L. de gr. Christi c. 26. *Etsi*, inquit, *mandatum Dei videtur aliquando non a diligentibus, sed a timentibus fieri; tamen ubi non est dilectio, nullum bonum opus imputatur* (scilicet ad justitiam poenitenti), *nec recte bonum opus vocatur.* Et L. 21. de Civ. c. 16. *Neque*, inquit, *id fit veraciter atque sinceriter, nisi veræ dilectione justitiæ... Tunc itaque victa vitia deputanda sunt, cum Dei amore vincuntur.* Eundem initialem Dei amorem indicat S. Doctor; cum epist. 143. alias 144. L. de nat. et gr. c. 57., in Ps. 77. ac sæpe alias docet, solo timore poenæ, absque amore justitiæ neque declinari peccatum, neque bonum opus fieri. S. JOANNIS CHRYSOSTOMI, aliaque plura testimonia supra a. 1. c. 3. disp. 1. attulimus.

Conf. 1. Peccator per poenitentiam recipitur in amicitiam Dei ex inimico: nihil autem est convenientius, quam ut hæc reconciliatio fiat detestatione offensæ qua talis, quod sine aliqua Dei dilectione formali propter se contingere non potest: nam qui solum detestatur peccatum sine actu formali Dei dilecti, de malo tantum suo, non verò de Dei offensæ dolere videtur.

Conf. 2. Hac solum via non tantum consulitur virtuti sacramenti Poenitentiae et potestati clavium, sed auctoritas etiam S. Scripturæ et Patrum, præprimis Concilii Tridentini servatur, toties contestantium, remissionem peccatorum non fieri sine dilectione Dei.

His apponimus judicium Cleri Gallicani an. 1700. de dispositionibus ad Baptismi et Poenitentiae sacramenta necessariis ita declaratum: *Neque satis adimpleri potest utrique sacramento necessarium vitæ novæ inchoandæ, ac servandæ mandata divina propositum, si poenitens promi ac maximi mandati, quo Deus toto corde diligitur, nullam curam gerat.*

Quæ quidem congruunt doctrinæ Concilii ARAUSICANI II. Can. ult. (Labb. t. 4. p. 1672. B.) sic decernentis: *Deus ipse nobis, nullis præcedentibus bonis meritis, et fidem et amorem sui prius inspirat, ut et Baptismi sacra-*

menta fideliter requiramus, et post Baptismum, cum ipsius adjutorio, ea quæ sibi sint placita, implere possimus.

166. *Dico II.* Amor ille initialis, quem attritio proxima ad gratiam sacramenti dispositio comprehendit, est actus spei, quo Deus diligitur tanquam nobis bonus. Ita cum Honorato Turnelio Theologi complures.

Prob. Ut in sacramento proxime ad gratiam disponat attritio, debet hæc amorem quemdam Dei initialem continere: atqui amor iste initialis non est alius, quam actus spei, quo Deum tanquam omnium justitiæ fontem diligere incipimus; ergo.

Prob. induct. I. Amor iste initialis non est caritas Dei ex suo motivo formali et specifico perfecta, sed tantum quoad intensionem seu vehementiam actus paulo remissior, ut ex quorundam veterum Scholasticorum opinionibus recentiores quidam et rigidiores conjiciunt: nam contra hos supra disp. 1. c. 3. art. 3. evicimus, omnem contritionis actum ex perfectæ caritatis motivo formali et specifico elicium, cujuscumque is gradus fuerit, proxime ad justificationem disponere.

II. Neque amor iste initialis est imperfecta illa Dei dilectio, qua afficitur quidem peccator erga Deum, sed nondum illum cæteris rebus præfert: nam ut dilectionem talem cum Bellarmino donum Dei supernaturale esse demus, nihilominus illa, judice ipso Bellarmino, ne nomen quidem caritatis meretur, neque implet legem. Quomodo ergo ignavus iste motus animi, ac simplex complacentia, qua Deus non antefertur omnibus rebus, peccatorem poenitentem accendere, atque ad gratiam sacramenti et peccatorum veniam disponere proxime possit?

III. Restat igitur, ut, quandoquidem actus contritionis imperfectæ, qui proxime ad primam gratiam disponat, dilectionem Dei inchoatam complectitur, hæc sit actus spei, quo Deus diligitur, et propter se diligitur, et super omnia diligitur: hoc enim cuilibet virtuti theologicæ proprium est, ferri in objectum super omnia. Quamvis in hoc unico, ut meminimus, amor initialis a caritate deficiat, quod in Deum, ut amanti bonum feratur, et sic amans nondum semetipsum in Deum expresse referat, nec simul finem ultimum subjectivum in ipso explicite ac positive reponat.

167. *Obj. I.* TRIDENTINA Synodus semper studiose cavet, ne suis decretis ullum inferret præjudicium liberis Scholæ opinionibus: *Nec enim collecta fuerat ad decidendas opiniones, sed ad errores rescindendas;* ut scribit Pallavicinus L. 4. c. 10. Hist. Conc. Trident. Atqui certum est, liberam Scholarum Catholicarum opinionem esse, utrum sola contritio perfecta sufficienter ad Poenitentiae sacramentum disponat: an etiam attritio sola sufficiat ad gratiam primam in sacramento consequendam: an autem ex dilectione saltem inchoata, et ex quam initiali dilectione detestatio peccati in attritione proficisci debeat; ergo ex TRIDENTINA Synodo argumentum in præsentem quæstionem promi non potest.

R. D. Cons. Ex Synodo TRIDENTINA promi non potest argumentum, quo ostendatur, hanc quæstionem clare et expresse definitam esse C. non potest promi ratiocinatio theologica, qua ex ipsiusmet Concilii verbis verisimilius inferatur, ad peccatorum veniam in sacramento hoc consequendam non

requiri absolute contritionem perfectam, sed sufficere attritionem, modo dilectionem inchoatam contineat *N.*

Inst. 1. Sess. 14. cap. 4. Synodus docet, in sacramento Pœnitentiæ attritionem, quæ vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ et pœnarum metu concipitur, esse dispositionem ad remissionem peccatorum percipiendam; ergo non opus est ad hunc effectum inchoata Dei dilectione.

R. D. Ant. Docet, attritionem esse dispositionem omnino adæquatam *N.* saltem inadæquatam *C.* Sacra Synodus damnatura hæreticos, attritionem ut inhonestam convitantes, voluit tantum definire, eam esse donum Dei, et pœnitentem ad gratiam Dei disponere. Reliquit autem Catholicorum disputationi, utrum talis attritio sit dispositio adæquata; an vero complexum ex detestatione peccati, metu gehennæ, et ex inchoata Dei dilectione, exigatur tanquam dispositio proxima, adæquata in ratione contritionis. Nam, ut Pallavicinus nuper citatus refert, major pars Patrum et Theologorum disputarunt pro dilectionis actu necessario, ad gratiam in sacramento Pœnitentiæ obtinendam, nec solam attritionem ex metu gehennæ conceptam sufficere ad effectum istum contendebant. Horum omnium primo loco sermonem habuit Jacobus Lainius Soc. Jesu, Præpositus Generalis: quem secuti deinde sunt alii omnium Ordinum viri eruditissimi, acriter declamantes pro necessitate inchoatæ alicujus formalisque Dei dilectionis propter se. Argumentum autem de sufficientia formidolosæ pœnitentiæ a paucis delibatum fuisse scribit: aliquod duntaxat vestigium reperiri opinionis negantis necessitatem amoris in iis, quæ Granatensis Archiepiscopus disputavit. Quin etiam Ruardus Tapperus, Lovaniensis Academiæ Cancellarius, Tom. 1. art. 5., et Melchior Canus part. 5. de Pœnitentia, sufficere quidem aiunt, in sacramento attritionem ex metu gehennæ conceptam; sed hoc non esse certum et indubitatum. Et Dom. Sotus, qui paucis post finitum Concilium annis Commentarios in 4. sententiarum librum edidit, dist. 18. q. 3. a. 2. scribit, doctrinam de sufficientia attritionis veram esse, sed novam, nec ausurum se absolvere eum, qui diceret, se non pœnitere propter Deum. Prorsus autem incredibile est, quod tanti viri, qui sessioni 14. interfuerunt, et contulerunt operam suam concinnando illi decreto, quod adversarii nostri contendunt, definitam fuisse sufficientiam attritionis, dilectione Dei inchoata destitutæ, aut hujusce decreti sententiam non fuerint assecuti, aut definitionem, qua sententiæ, quam ipsi tuebantur, veritas adstruitur, contempserint.

Inst. 2. Quod generi convenit, idem et convenit speciebus: atqui contritio generatim dicitur pars materialis sacramenti Pœnitentiæ, Sess. 14. cap. 3.; ergo etiam attritio, quæ cap. 4. species contritionis appellatur, erit pars sacramenti, et ad absolutionem sufficiens.

R. D. M. Quod generi convenit essentialiter et ab intrinseco, idem et convenit speciebus *C.* quod generi convenit contingenter tantum et ab extrinseco, idem et convenit speciebus *N.* Quando prædicatum contingens enuntiatur indefinite de subjecto universali, propositio evadit particularis: accidit autem contritioni, esse partem sacramenti; igitur vox universalis, contritio, accipitur a Concilio particulariter, ita ut idem sonet, ac, aliqua contritio est pars materialis sacramenti, nempe complexum illud ex detestatione peccati ob metum gehennæ, vel deformitatem vitiorum, et ob amorem Dei initialem.

Inst. 3. Non omnes actus Sess. 6. cap. 6. recensiti ad justificationem in

baptismo obtinendam sunt necessarii; ergo neque actus ille inchoatæ dilectionis.

R. N. Cons. Ad justificationem adulti requiritur conversio ad Deum: hæc autem solo amore fit. Hinc capite præcedente recitantur a Concilio verba Joëlis 2. v. 12., et Zach. 1. v. 3.: *Convertimini ad me, et ego convertar ad vos.*

Inst. 4. Detestans peccatum, quia est contra reverentiam, Deo ut supremo Domino debitam, convertitur ad Deum, quem non ideo formaliter diligit; ergo conversio ad Deum non fit sola dilectione formali.

R. N. Ant. Hujus pœnitentis objectum materiale est peccatum, formale quod proximum est deformitas peccati, remotum est honestas moralis actus, finis cui est pœnitens sibi honestatis talis ornamentum expetens; non ergo actus talis est conversio ad Deum formalis: hæc enim solum accidit vel actu caritatis perfectæ, vel amore concupiscentiæ.

Inst. 5. Synodus TRIDENTINA in præfatione Sess. 14. protestatur, se exactiorem et pleniorum de sacramento Pœnitentiæ definitionem tradituram; capite autem 4. contritioni caritate perfectæ, et ante sacramenti usum sanctificanti opponit contritionem imperfectam seu attritionem, quæ ex consideratione turpitudinis peccati aut gehennæ metu concipitur, quin ullam caritatis mentionem addat; ergo dum mox ait, attritione ista nos in sacramento ad gratiam Dei impetrandam disponi, in ea non requirit amorem.

R. D. Cons. Synodus in attritione non requirit amorem perfectæ caritatis, quæ ex se hominem Deo extra sacramenti usum reconciliet *C.* Synodus hac divisione dilectionem Dei inchoatam ab actu attritionis in sacramento ad gratiam disponentis excludit *N.* Eodem capite contritio generatim definitur: *Dolor ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero: dolor autem de peccato, secundum S. AUGUSTINUM L. 14. de Civit. c. 7. et S. THOMAM supplem. q. 3. a. 1. fundatur in amore rei illius, de cujus jactura dolemus, præsertim si ex metu gehennæ excitetur, cujus potissimum malum est jactura summi boni, quæ pœna damni solet nuncupari. Præterea dolor ille debet esse de peccato, quia est offensa Dei, cum sit actus pœnitentiæ: vix autem concipi potest dolor de offensa Dei sine aliquo Dei amore; actus enim virtutis pœnitentiæ, ait S. Thomas 3. p. q. 85. a. 6. est contra peccatum ex amore Dei. Et q. 86. a. 3.: Ad rationem pœnitentiæ requiritur, ut displiceat peccatum, quia est contra Deum super omnia dilectum.*

Inst. 6. Concilium illam attritionem pro dispositione ultima ad gratiam sacramenti admittit, quam Lutherus rejicit: atqui hic nunquam negavit, attritionem junctam cum amore Dei bonam esse et utilem; ergo Concilium solam attritionem ex gehennæ metu conceptam pro ultima dispositione ad sacramenti gratiam admittit. *Minorem* declarat Lutherus in assertione articulorum a LEONE X. damnatorum, ubi, *si dixerint, inquit, se loqui de contritione in caritate facta, jam articulus nihil ad me: non enim unquam sic docui: imo quia, ut meum damnant, de contritione naturali et impia extra fidem eos loqui oportet.*

R. D. min. Lutherus nunquam negavit attritionem junctam cum amore Dei, h. e. caritate perfectâ habituali, bonam esse et utilem *C.* attritionem sine caritate perfectâ et habituali *N.* Lutherus omnem pœnæ timorem vituperavit tanquam violentum et coactum: deinde nullum, ait, bonum opus